

QW. 523, 8

(X 190 399A)

B. 1

II n
7190

Quorundam
Scriptis in publicum editis
CLARORUM
SILESIO RUM
THEOLOGORUM
VITAS

In Gymnasio Vratislaviensi
Elisabetano

Ad X. Septembris, clc lbc LXV.
publicè recensendas
indicis

XXXII.

MARTINUS HANNKIUS,
Phil. Pract. Histor. & Eloq. Prof.

VRATISLAVIÆ,
Typis BAUMANNIANIS, exprimebat
JOHANNES CHRISTOPH. JACOB.



Eruditionis copiã præ cæteris excellentium viro-
rum res gestas in posteritatis memoriam exponere publico,
cum spectabilis per se labor est, tum civili pariter atq; lit-
terario regno maximè utilis. Etenim si monumentorum
æternitate, quicquid futurorum seculorum memoriã dig-
num est; in historiarum componendarum partem non ultimam veniunt eo-
rum vite, quorum Scientia multò supra vulgus eruditorum eminuit. Quò
nomine quantumvis quæcunq; litteris illustria capita in Theatrum illud
admittenda sint, quò representare cogitamus, aut priorum, aut nostrorum,
aut omnium temporum fata, in iisq; moderandis occupatos homines: tamen,
quæ personas suas omnium optimè peregerunt, summis in Ecclesias & Civi-
tates meritis conspicua, nobiliori loco & ornatiore habitu producenda se si-
stunt. Ea beneficiorum natura, ut, in quem conferuntur, hunc ad gratiam
referendam, certè habendam, obligent. Jam autem eruditorum quædam in
rem publicam beneficia tanta sunt, ut iis justum premium nemo reddiderit,
nemo possit reddere. In hujus proinde partem, spe gloria posthuma laten-
tur, æquum est. At hæc, illis mortuis, quomodo superstes erit, quomodo se-
ris transmittetur nepotibus renovanda, nisi facta, quibus debetur, vel ex
probatis Scriptis, vel ex hominibus, majorum suorum fide, narrantibus
agnoscantur? In his duabus quemadmodum prior in præteritorum cogni-
tionem perveniendi tutior est planiorq; via, sic, quò pateret omnibus, anti-
quitas provida consignare cæpit, quicquid gratâ mente posteris repetendum
judicavit. Quæ cum ita sint; præclarissimorum ingeniorum sapientissi-
mas saluberrimasq; curas, quibus, pari fortitudine, quâ Principes heroesq;
patriam & libertatem invictis armis propugnant, communem salutem,
quantum in ipsis fuit, vel inconcusam conservarunt, vel labentem & ruina
proximam in integrum restituerunt, ab annalium corporibus excludere, quid
aliud est, quam tantorum hominum, vel beneficia non intelligere, vel honori
perpetuo invidere? Cui doctorem ordini, quibus ob meritum magnitudi-
nem omnis posteritas est ad laudes tribuendas obstricta, quanquam inseri
non possunt, qui aut mediocria, aut exigua, aut nulla omnino commoda, aut
etiam detrimenta publico attulerunt; non ideo tamen omnes annalium me-
rentur

ventur silentium. Nam in horum vitis alia memorabilia sæpius inveni-
as, raram ingenii felicitatem, memoriae capacis excellentiam incredibilem
patientiam laborum, morum sive laudabilium, sive peruersissimorum inusi-
tatas formas, consiliorum admirabilem eventum, insolentio rem fortuna va-
rietatem, similiaq; non pauca, quibus notabile suo spectaculum dederunt,
cunctis seculis exemplum. Qualia, sive in ornamentum, sive in opprobrium
defunctorum cedant, presenti cognita, venturis aetatibus respicienda propo-
nere, magni ad Remp. interest. Quantum erudienda iuventuti documen-
tum præbent, cum in emendandis rectèq; componendis moribus, tam in stu-
diis prudenter, & quemadmodum par est, colendis? Quantum incitamen-
tum ad perferendos ubiq; se oppositentes, & quò magis premuntur, hoc altius
surgentes in iniis labores? Quantam deniq; spem, superatis constanter om-
nibus difficultatibus, ad honores publicos emergendi? Ad quos cum perve-
nimus, quoniam non exigua virtus est, tueri partos, iisq; personam dignam
gerere, quoties opportunum nobis consilium, aut circumspectio, aut error ali-
orum confert? Quoties in reliquis ad innumeras vite partes, & in imita-
tionis, & in detestationis incentivum, aliena conspexisse vestigia conducit?
Ipsa quidem Theologia & Philosophia Practica, præsertim ut à nobilissimis
ævi nostri Scriptoribus elaboratae inveniuntur, quicquid in omni actionum
genere faciendum, quicquid fugiendum est, suis ex fontibus, hoc est, divinis
& naturalibus præceptis, omnem veram prudentiam rationem ostendentibus,
derivatum, Lectoribus considerandum proponunt. Quos, satis erat, obse-
quiosos esse. Sed est ea voluntatis humanae labes, ut ne verissimo quidem evi-
dentissimoq; iudicio se commoveri semper patiatur, sed præviorum citius
pedes sequatur, quam rectum iter monstrantium digitos. Quibus imbe-
cillitatibus nostris cum per frequentem historiarum lectionem meditatio-
nemq; consulendum veniat, litteris dediti merito in exempla potissimum sui
generis hominum, de quibus omnium optimè possunt iudicare, mentem defi-
gant. Quid nunc de cæteris utilitatibus memorem, quas sapientium acta
fideliter annotata nobis afferunt? Horum ignorantia quos non errores pare-
re consuevit? Ex quibus maximè vulgares eorum sunt, qui vel plus aequò
liberales, pluribus in partem debitas, in unum universas conferunt laudes,
vel in jacentium manes injurii, reprobis tribuenda, piissimis assignant;
sub iisdem nominibus diversa tempora, certè ingenia, miscentes. Quem-
admodum

admodum verò utile, doctissimorum gesta legisse, sic necessarium litteratis est, eorum aut omnem, aut aliquâ parte vitam habere cognitam, quorum relicta posteritati monumenta in publicum edita supersunt. Nam illius notitia quem prorsus fugit, quò pacto de his satis accuratum facere judicium possit, non video, præsertim antiquitatis & historiarum momenta recensentibus. Quin ad libros ipsos feliciter intelligendos plenior & intimior auctoris cognitio sæpe tantum facit, ut eâ destituti, plurimis in locis ad nostram legentium, non ad genuinam auctoris mentem interpretari valeamus.

Tot tantisq; causis, pro suo quisq; instituto, adducti, semper exstiterunt, qui de viris doctrina præstantibus peculiaria monumenta conderent. Ex quò Historicorum numero quemadmodum inter antiquissimos, injuria temporum, multos amisimus; sic ad nostram ætatem conservatis, per superioris præsentisq; sæculi Scriptores magnum accessit incrementum. Horum alii nullam, alii certam sibi legem posuerunt, ad quam respicerent. Etenim quidam, se claros cujuscunq; Scientiæ cultores exposuisse contenti, discrimen inter eos multiplex attendere supersederunt. Quod faciunt Hesychius Milesius cognomento Illustris, Paulus Jovius, Nicolaus Reusnerus, Theodorus Beza, Janus Jacobus Boisardus, Janus Nicius Erithræus. Quidam verò inprimis uno eruditionis genere nobiles in unum corpus laboraverunt componere. In quorum classe profitentur nomina sua, de THEOLOGIS agentes, Hieronymus Stridonensis, Gennadius Masfiliensis, Isidorus Hispalensis, Hildephonsus Toletanus, Sigebertus Gemblacensis, Honorius Augustodunensis, Henricus Gandavenfis, Sillebertus cognomento Universalis, Joannes Trithemius, Jacobus Wimphelingus, Balthasar Werlinus, Matthias Flacius, Guilielmus Eisengrenius, Sixtus Senensis, Jacobus Verderheidenius, Antonius Possevinus, Robertus Bellarminus, Abrahamus Scultetus, Joannes Gerhardus: De JCTIS, Theodorus Ebertus & Nicolaus Henelius: De MEDICIS, Simphorianus Campegius, & Lucas Lindius: De PHILOSOPHIS, Diogenes Laertius, Philostratus Lemnius, Eunapius Sardianus, Joannes Valensis, Gualterus Burlæus, Paulus Leopardus, Georgius Hornius, Petrus Gasfendus: De HISTORICIS, Gerardus Joannes Vossius, Joannes Jonsius, Martinus Zeilerus: De POETIS, Petrus Crinitus laudatusq; Vosius:

Vosfius: *De RHETORIBUS & GRAMMATICIS*, C. Svetonius Tranquillus. *Sunt, quibus sapientiae & humanitatis artibus eminentes, secundum Ordinem, cui fuerunt addicti, recensere placuit. E quorum censu nobis occurrunt memorandi, de SCRIPTORIBUS ORDINIS BENEDICTINI*, Joannes Trithemius, & Arnoldus Wionus; *ORDINIS CARTUSIENSIS*, Aubertus Miræus, Petrus Dorlandus, Theodorus Petrejus; *ORDINIS CISTERCIENSIS*, Carolus Vischius; *ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS*, Joannes Paigius; *ORDINIS CARMELITARUM*, Arnoldus Bostius & Petrus Lucius; *ORDINIS FRANCISCANORUM*, Henricus Willotius; *ORDINIS DOMINICANORUM*, Franciscus Castilio, Joannes Garzo, Joannes Antonius Flaminius, Leander Albertus, Antonius Senensis; *ORDINIS AUGUSTINIANI*, Thomas Gratianus, Josephus Pamphilus; *ORDINIS EREMITARUM sancti Augustini*, Cornelius Curtius; *SOCIETATIS JESU*, Petrus Ribadeneira & Philippus Alegambe. *Sunt etiam, quibus arrisit de rebus cruditorum communem patriam famam illustrantium conscribere codices. Quò in proposito, quasi de prerogativa invicem certarent, sic plurimi suæ gentis præclara in orbe litterario lumina producere, aliisq; populis tantum non opponere studuerunt. De ITALIÆ Civibus, FLORENTINIS*, Michaellem Pocciantium & Lucam Ferrinium; *GENUENSIBUS*, Jacobum Bracellum & Ubertum Folietam; *PATAVINIS*, Bernardum Scardeonium habemus: *De GALLIS*, Antonium Verdierium; *de HISPANIS*, Alphonsum Garfiam & Andream Schottum; *de BRITANNIS*, Georgium Liliam, Joannem Baleum, Joannem Pitsæum; *de HIBERNIS*, Jacobum Waræum; *de POLONIS*, Simonem Staravolscium; *de BELGIS*, Franciscum Swertium & Valerium Andream; *de GERMANIS*, Joannem Trithemium, Henricum Pantaleonem, Melchiorum Adamum.

SILESIA nostra, Poloniæ, Hungariæ, Bobemiæ ad sita, Germaniæ, si ab Occidentalibus oris principium facias, omnium ultima, sin ab Orientalibus, omnium prima provincia, ut cunctis temporibus, non minus, quam viciniæ, strenuos manu animoq; viros produxit, libertatis patriæ statores; ita præprimis, ex quò mansuetiores artes virtutibus bellicis misceri apud nos cœperunt, ne reliquis illustrissimæ Germaniæ partibus haberetur inferior, semper ingenia præclara edidit, aluit, educavit, partim sibi, partim exteris regionibus ob sapientiæ studium salutaria. Horum vitas qui peculiari volumine consignatas publicave-

rit, in neminem haecenus incidi. Qua de re jam olim sollicito, ipse annus est, quod Nobilissimi CHRISTIANI FRIDERICI HENELII gratia, magni Parentis, NICOLAI HENELII Togatam Silesiam intra Museum meum perlustrare mihi contigit; opus arduum, in XII. libros distributum, ex schedarum adjectarum copia duobus adhuc augendum. Mireris, Virum Magnificum in tot tantisque provinciarum suarum ordinariis curis, quibus se in commune bonum consumpsit, eam fuisse diligentiam, ut praeter alia multa subsessivis horis elucubrata, DCC hominum elogiis componendis vacare sustinuerit. Inter eos, exceptis paucissimis, qui Silesiam meritis, non item natalibus suis, florentem reddiderunt, utroque genere memorabiles, stemmatis antiquitate, celsitudine, gloria, officiumque cum militaribus, tum literatis, eminentes, Principes, Episcopos, Comites, Barones, Equites, & quicumque, laudem suam ex eruditione promeriti, splendorem patriae nostrae conciliaverunt, liberiore stilo representat. Quos ineditos codices, cum caeteris adhuc in abdito latentibus, omnino dignos, qui tandem in Auctoris & Silesiae totius communem laudem, ad multiplicem usum, eruditorum desiderium venales in Bibliopoliis exponantur, dum haecenus nequicquam expectavimus, interim ego, dudum agitati Consilii adductus, mentem dexteramque tali Opusculo cepti applicare, quod, non quocumque, sed scriptis in publicum editis clarorum SILESIORUM vitas historica simplicitate, non ambitu ornatumque declamatorio, descriptas contineat. Cui fortui ex tenebris & angustiis, in quibus conceptus est, & augmenta sumit, satis erit, si ad lucem pateat via, quam juvenus, suo commodo, aperiat. Nempe cum in Eloquentiae studio publicis ingenia speciminibus exercenda sint, constitui, adspirante divina gratia, vicibus nonnullis, SCRIPTORUM SILESIORUM VITAS, in quantum nobis innotuerint, delectis ex Gymnasii nostri caetu adolescentibus & pueris in medium proferendas committere. Ita enim existimo, illos una operam partim Romanae facundiae, partim promptioris memoriae periculum aliquod facere; sed etiam in priorum nostrorum exempla intentos, ex illis, quod est re sua videant, capere posse. In quo instituto crastinis horis matutinis, de quibusdam THEOLOGIS aucturi, initium facient. In quorum serie conjunctos esse, quos Sacra disjunctissimos fecerant, neminem paulo sapientiore vel admiraturum, vel in vitis etiam positurum arbitror. Nam in terris inter se bonos malosque mixtos esse, si ferendum est, cui jure possit intolerabile videri, sententis moribusque discrepantes, quaedam habere mortuos communia, quos multa vivos habuisse constat; & quorum nullus est, qui non aliquam de caeterorum laudibus sibi quoque vindicet? Et in gestorum narrationibus is nobis moderatus genius maxime probatur, cum res ipsas nativa integritate sua commemorasse contenti, iudicium de iisdem lectori auditorive permittimus.

Vos Reip. nostrae Patres, Cives, Hospites litterati, quibus amorem in juventutis Studia declarare per vestra licet, ut proximam die, ad excipiendas benignis auribus vitas illas, non contemnendam historiae Silesiacae partem facientes, in Gymnasii Elisabethani Auditorium supremum benevolis animis conveniatum, eam, qua Vobis nos profitemur obstrictos, observantia & humanitate rogamus. Vestra praesentia non solum nobis universoque Gymnasio nostro, sed etiam plurimis defunctorum, quorum merita in commune bonum exstantia, producentur

centur considerata, singulari honori cedit, ipsa verò ingenuis artibus addicta Pubes, sicut intelliget, suam virtutibus eminentioribus gloriam post funera quoq; superstitem apud posteros bene gratos permanere: sic, interdum succumbentes in laboribus animos hoc ipso feliciter eriget. Nam quicquid de iis narratur, quorum personas aut agimus, aut agere meditamur, illud etiam de nobis aliquando referendum, merito præsumimus. P. P. Vratislaviæ, V. Iduum Septembris, cl^o l^o LXV.

Scriptis clarorum

THEOLOGORUM SILESIORUM,

eo ordine, quo deceserunt, VITAS

recensebunt:

1553. GEORGII LOGI, Equitis à Slaupitio, Legum Imperialium Doctoris, Comitum Palatini Cæsarei, Vratislaviensis Ecclesiæ Cathedralis ad S. Joannis templum Canonici, & ad S. Crucis ædem Præpositi: *Joannes Joachimus à Moravvitzky.*

1554. AMBROSII MOIBANI, Vratislaviensis, Theologiæ Doctoris, Ecclesiæ patriæ ad S. Elisabetæ templum Pastoris: *Elias Nitschke, Lesnensis Polonus.*

1561. CASPARIS SCHWENCKFELDII, Equitis ab Oslinga, Hæreseos, quæ nomen ab ipso accepit, conditoris: *Fridericus Celichius, Lubenensis.*

1583. ZACHARIÆ URSINI, Vratislaviensis, Theologiæ Doctoris, ejusdemq; primum in Heidelbergensi Academia, inde in Gymnasio Palatino Neapolitano Professoris: *Godofredus Gosky, Winzigensis.*

Eodem anno: LUCE POLLIONIS, Vratislaviensis, Ecclesiæ Patriæ ad S. Mariæ Magdalena Pastoris: *Albertus Schæffenius, Trebnicensis.*

1585. MARTINI GERSTMANNI, Boleslaviensis, J. U. Doctoris, Vratislaviensis Episcopi: *Joannes Fridericus à Schweinitz.*

1589. ESAIÆ HEIDENREICHII, Leobergensis, Philosophiæ & Theologiæ Doctoris, Ecclesiarum Evangelicarum Vratislaviensium Inspectoris, Elisabetanæ Pastoris, in Consistorio sacro Assessoris: *Godofredus VWilhelmi, Vratislaviensis.*

1593. JOANNIS FLEISCHERI, Vratislaviensis, Theologiæ Doctoris, Esaiæ Heidenreichii in officiis dictis successoris: *Ernestus Maximil. ab Haunold.*

Eodem anno: ADAMI FRANCISCI, Carnoviensis, in Monasterio Heilsbrunnensi Abbatis: *Georgius Christianus Neuman, Vratisl.*

1596. SIGISMUNDI SVEVI, Freistadiensis, Ecclesiæ Vratislaviensis Neapolitanæ Præpositi & Pastoris: *Joannes Maximilianus à Ralckreuter.*

1605. SALOMONIS GESNERI, Boleslaviensis, Philosophiæ & Theologiæ Doctoris, & in Witebergensi Academia Professoris primarii: *Martinus Frumelius, Vratislav.*

1610.

1610. AMANDI POLANI, Troppaviensis, Theologiæ Doctoris, & in Bafileensi Academia Professoris: *Joannes Neuman, Landshuttanus.*

1611. JOANNIS FERSII, Vratislaviensis, Philosophiæ, Medicinæ, Theologiæ Doctoris, & in patria Canonici: *Sigismundus Gsellhoffer, Vratisl.*

Eodem anno: FRANCISCI VIRLINGI, Nisensis, Vratislaviensis Ecclesiæ Magdaleneæ Diaconi Senioris: *Christianus Dergeselle, Vratisl.*

1615. JACOBI EBERTI, Sprottaviensis, Theologiæ Doctoris, & in Academia Viadrina Professoris: *Christianus Kalus, Ratiboriensis.*

1616. NATHANAELIS TILESII, Hirschbergensis, Poetæ Cæsarei, Philosophiæ Magistri, in Libero Baronatu & oppido Milicensi Superintendentis & Pastoris: *Christophorus Hermannus Bremerus, Vratisl.*

1617. GEORGII WEINRICHII, Hirschbergensis, Philosophiæ & Theologiæ Doctoris, Lipsiensis Academia Professoris, Ecclesiæ Superintendentis, Consistorii Assessoris: *Caspar Henneman, Olsnensis.*

1622. DAVIDIS PAREI, Francosteinensis, Philosophiæ & Theologiæ Doctoris, in Heidelbergensi Academia Professoris: *Joannes Wohlmutz, Rustensis Hungarus, Gymnasio simul valedicturus.*

1623. DANIELIS ZEPKII, Bregensis, ad B. Virginis apud Svidnicenses Ecclesiæ: *Jacobus Baudisius, Vratisl.*

1624. ABRAHAMI SCULTETI, Grunbergensis, Theologiæ Doctoris, in Heidelbergensi Academia Professoris, Friderico V. Electori Palatino à consiliis ecclesiasticis: *Georgius Etschart, Vratisl.*

1631. NICOLAI POLII, Vratislaviensis, Ecclesiæ patriæ Magdaleneæ Diaconi Senioris: *Godofredus Becke, Vratisl.*

1633. CHRISTOPHORI PELARGI, Svidnicensis, Philosophiæ & Theologiæ Doctoris, in Academia Francofurtana Professoris, totius Marchiæ Superintendentis Generalis: *Marcus Strovigellus, Sempronensis Hungarus, Gymnasio simul valedicturus.*

1636. DANIELIS HERMANNI, Vratislaviensis, Philosophiæ Magistri, in patria ad Elisabetanam ædem Ecclesiæ, in Gymnasio vicino Theologiæ Professoris, & in Judicio sacro Assessoris: *Christianus Philippus Neubauer, Kæhrensis Misnensis.*

1637. ZACHARIÆ HERMANNI, Vratislaviensis, Theologiæ Doctoris, in patria Ecclesiæ Elisabetanæ Pastoris, cæterarumq; Augustanæ Confessionis addictarum Inspectoris, & in Consistorio Assessoris: *pronepos, Daniel Schröck, Vratisl.*

1639. BALTHASARIS OSTII, Vratislaviensis, Philosophiæ Magistri, ad ædem Elisabetanam in patria Diaconi: *Godofredus Schröck, Vratisl.*

Q.N. 523, 8

SILH

TH

In Gy

Ad X

MAR

Typis BA

JOH

B. 1
16
II n
7190

IM

si

XXXII.

zs,

nebat

BIBLIOTHEK
ALLE
MAALE

